

rius illuminantur ad intelligendum plura, » ad quæ erant in potentia, et consequenter secundum quamdam confusionem. Itaque connaturali modo procedendo (sicut semper procedunt Angeli boni) semper uniformiori modo procedunt superiores Angeli. Et licet dum ipsi habent unam operationem inferiores Angeli habeant plures, quia tamen unica operatio pertinet ad mensuram temporis discreti tamquam par illius, si ratione illius cum ordine ad aliam mensurat: sicut in nostro tempore partes ejus non sunt præsentis nisi ratione instantis, et sic istæ mensurant in ordine ad illas.

VI. Ad secundum respondetur quod operationes liberæ Angeli superioris, licet in quantum liberæ sunt occultæ, sicut etiam operationes liberæ Angeli inferioris; sunt tamen manifestabiles, et de facto manifestantur multæ per illuminationes, locutiones, et alias actiones hierarchicas, quibus manifestatur modus ipse procedendi Angeli superioris magis unitus et simplex. Et quia nunquam deest aliquis influxus a superioribus in inferiores in cœlesti patria quia fluminis impetus lætificat civitatem Dei, ideo nunquam deest operatio, quæ cognoscatur in in fluxu superiorum ad inferiores,

ubi relucet ratio temporis discreti.

VII. Ad tertium respondetur quod licet Angelus in suis operationibus liberis non subdatur superiori Angelo effective, subditur tamen exemplariter, quatenus ad ejus modum simpliciorum, et uniformiorum potest se conformare, sicut etiam esse unius non dependet ab alio effective, et tamen mensuratur per durationem alterius tamquam per simpliciorum: non requiritur autem ad rationem mensuræ, ut præcise mensura est, quod sit causa effectiva respectu mensurati, sed sufficit, quod sit simplicior illo in eodem genere, ut inquit D. Thomas in præsentis articulo VI et IV. Licet aliqua mensura ut perfectissimo modo contineat mensurata, et ut trahat illa ad se sicut æternitas causa esse debet illorum, ut supra explicatum est. In nobis autem operationes intellectus pro hac vita dependet a phantasmatis, et sensibus, a quibus accipiunt species, et secundum connotationem, et ordinem ad illorum cognitionem, intelligimus. Operationes autem sensuum, licet elici possint in instanti, continuari tamen possunt in tempore, et a motu dependent; et ratione hujus per accidens nostrum intelligere in hac vita, tempore mensuratur.

QUÆSTIO XI.

DE UNITATE DEI.

SUMMA LITTERÆ QUÆSTIONIS.

Agit D. Thomas hic de unitate Dei ea ratione, et ordine, quem explicavimus in connexionione quæstionum hujus primæ partis juxta divisionem principalium attributorum, quæ in divina essentia considerata sunt a Div. Thoma.

Ad intelligentiam autem unitatis Dei præmittit considerationem de unitate entis in communi duobus articulis, et aliis duobus ipsam unitatem Dei explicat. Circa unitatem in communi explicat quid sit unitas communiter sumpta, tum respectu subjecti, in quo est scilicet respectu entis, tum respectu multitudinis, cui opponitur, et cujus negationem unitas includit. Et ita in primo articulo ostendit, quod unitas transcendentalis quæ est passio entis convertitur quidem cum ente, et invenitur in omni ente, non autem unitas quantitativa, quæ est principium numeri, et invenitur solum in rebus corporalibus. Non tamen addit supra ens rem aliquam positivam distinctam ab ente, sed solum negationem divisionis, includit tamen ipsum ens, cum quo colligit in secundo articulo quod unum transcendentale opponitur multitudini per modum privationis tamquam indivisum diviso; unum autem quantitativum opponitur multitudini etiam relative, sicut mensura mensurato. Et quia multitudo constat ex unitatibus tamquam ex partibus, ideo divisio potest esse prior unitate non simpliciter, sed secundum nostram apprehensionem.

Circa unitatem Dei ostendit primo Deum esse unum, sicut fides docet, et ratio demonstrat sicut in præsentis probat D. Thomas et latissime in primo contra gentes, cap. XLII: secundo, ostendit Deum maxime esse unum, quia ejus substantia magis repugnat divisioni, non enim ipsa negatio, seu privatio formaliter est magis vel minus talis, sed ratione sui fundamenti.

DISPUTATIO XI.

DE UNITATE ENTIS, ET DEI.

Multa quæ ad difficultates de unitate pertinent tractata a nobis sunt in philosophicis, et in logica, nam ea quæ pertinent ad principium individuationis, quæ utique spectant ad unitatem numericam, et ad id quod in unitate veluti physice, et

magis materialiter consideratur tractavimus in libro de generatione, quæstione IX. Et quæ pertinent ad unitatem numeri in genere quantitatis, tractavimus agendo de unitate in logica, quæstione XVI. Quæ vero pertinent ad unitatem rei universalis, quæ est consideratio logica, et ipsius unitatis secundum statum rationis, consideravimus in logica, tractando de universalibus. Nunc restat aliqua breviter libere de

unitate metaphysice considerata, et prout est passio entis, et explicare demonstrationes de unitate Dei contra idololatrias, et qui multitudinem deorum introduxerunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid de formali dicat unitas transcendens, et quid addat super ens?

I. Nomine unitatis transcendentis intelligimus unitatem, quæ sequitur ipsum ens in quantum ens, id est, in omni genere entis et in omni eo, quod rationem entis participat, ideoque se habet tamquam passio ejus, quia est æque transcendens sicut ens. Nec loquimur de unitate secundum diversos status quos induere potest, vel in statu individuali, quod constituit unitatem numericam, vel in statu abstractionis, quod constituit unitatem universalitatis, et abstractionis, sed prout sequitur præcise entitatem ipsam, et constituit ipsam rationem propriam unitatis secundum se. Multo minus loquimur de unitate determinati generis, sicut est unitas numeri quantitativi, sed de unitate in omni genere.

II. Cur autem unitas dicatur passio entis, et æque transcendere sicut ens, non autem pluralitas, seu multiplicitas, si quidem non minus invenitur in omni genere entis pluralitas quam unitas, divisio quam indivisio, et natura de se, seu in statu puræ naturæ sit indifferens ad plura ut D. Thomas docet in lib. de ente, et essentia? Respondetur in his passionibus entis non attendi extensionem solum, et transcendentiam, sed etiam formalem rationem secundum quam consequitur, an sit secundum ipsam rationem entis, vel secundum aliquid aliud adjunctum,

verbi gratia sicut bonum et verum sequuntur ad ens, et divagantur per omnia genera entium, ita eorum opposita, scilicet falsum et malum divagantur per omnia genera entium saltem per ens creatum. Non tamen dicuntur passionibus entis falsum, et malum etiam respectu entis creati, quia non sequuntur ad ens ratione ejus, quod habet de entitate, sed ratione ejus, quod habet de defectu a perfectione in bono, vel ab adæquatione in vero. Similiter unitas sequitur ad ens, quamdiu habet, et retinet rationem entis, pluralitas autem invenitur in ente prout declinat ab ipsa ratione entis, et induit rationem non ipsius entis, sed entium, et ita ad ens ut condistinguitur ab entibus sequitur unitas. Præterea etiam sicut falsum et malum non transcendentur per omnia genera, quia in genere entis divini non inveniuntur, et ideo passionibus entis non sunt: ita per modum divisionis non invenitur in Deo, licet inveniatur per modum relationis et oppositionis, non tamen dividendo naturam, et ita talis pluralitas non est passio entis sicut unitas.

III. Ex his colligimus unitatem de qua in præsentia agimus, recte definiri et intelligi per oppositionem ad divisionem, et ita definiri solet unum: Quod est indivisum a se, et divisum a quolibet alio. Ubi advertendum est, quod unitas considerari potest, vel respectu divisionis, vel respectu multitudinis, quæ ex divisione resultat. Et quidem respectu divisionis, unitas privationem importat, respectu vero multitudinis, etiam habet rationem principii, et relationem ad ipsam ut ad principiatum, et derivatum ab ipsa unitate, imo ut ad rem quam componit, multitudo enim ex unitatibus constat. De quo videri potest Div. Thomas hic artic. II ad II et IV, et ulterius si sit numerus quantitati-

vus, unitas respicit multitudinem per modum mensuræ, constat enim, quod multitudo quantitativa non solum pluralitatem ponit, sed etiam addita facit majus vel minus quantitative, multumque aut parum occupat quantum est de se. Unde resultat specialis confusio ex multitudine, et divisione quantitativa, quæ non ex multitudine transcendentali, et sic indiget speciali mensura quo tollatur, et discernatur illa confusio, et hæc est unitas, quæ simplicior est, minusque occupat inter plures quantitates, et sic potest mensurare pluralitatem quantitativam illius generis, sicut unitate ulnæ pluralitatem ulnarum, unitate amphoræ vel batti pluralitatem illarum mensurarum. Quod si loquamur de numero numerante abstracte, ut unum, decem, centum, mille, etc. hæc mensuratio non videtur solum multitudinis seu numeri quantitativi, sed etiam multitudinis transcendentis, unde et applicatur etiam ad Angelos, sed tamen concipitur a nobis ad instar multitudinis, et numeri quantitative ob imperfectionem nostri conceptus.

IV. Difficultas ergo est an unitas transcendentis non solum realiter, et identice, sed etiam formaliter in suo conceptu includat entitatem ipsam, an solum negationem multitudinis, aut relationem ad illam. Et oportet discernere, quod aliud est inquirere quid addat unum super ens, aliud quid in suo formali conceptu includat. Nam super ens non potest addere realitatem aliquam, sed aliquid rationis, sive privativum, sive relativum, ut demonstrat S. Thomas in præsentia articulo I, qu. I, et XXI. De veritate artic. I, eo quod si id, quod addit supra conceptum entis esset ens seu realitas, non esset additio, sed identitas, includeretur enim sub ente illud quod addit, si ens est; oportet ergo, quod

si addit aliquid supra ens in tota sua transcendentia, et universalitate sumptum, quod illud non sit ens reale, sed rationis; addit autem unum sicut, et verum et bonum supra rationem entis in tota sua universalitate sumpti, si quidem se habet ut passio entis transcendens, et universalissima, et correspondens ei in tota sua universalitate, ergo non potest addere supra ens, ista passio quæ est unum aliquid reale. Quare difficultas præsens est. Primo, an unitas transcendentis importet de formali realitatem ipsam entitatis, aut modum realem ejus, et de connotato negationem divisionis quam addit supra ens, an vero negatio ipsa divisionis sit formalis ratio, realitas vero solum materialiter, et identice importetur in ratione unitatis. Et secundo, an ista formalitas, vel connotatio sit privatio divisionis, vel multitudinis, vel relatio aliqua rationis, aut quid tandem sit. Et tertio, utrum sola indivisio sufficiat ad rationem entitatis, an etiam divisio ab alio?

PRIMA DIFFICULTAS.

V. Circa primum, variæ sunt sententiæ, prima tenet importare unitatem de formali non solam negationem divisionis, sed etiam realem entitatem, sed dividuntur, quod quidam existimant addere aliquid distinctum ab ipso ente cujus est passio, quod docetur a Scoto, IV method. cap. II, quæstion. II, attribuitur Alexandro, et Bonaventuræ a Vazquez, tom. II, prima parte disputation. CXXVIII, capit. II, eamque absolute ipse Vazquez sequitur, sed tamen Scotus, et ejus schola etiam propriis passionibus entium particularium sentiunt non distingui realiter a natura cujus sunt passionibus, sed ad summum formaliter. Alii dicunt importare

unum de formali aliquem modum realem licet non distinctum ab ente. Ita Biescas super hanc quæstionem xi, art. i, dubio iii et v. Alii quod importat de formali etiam entitatem ipsam realem, connotando tamen negationem divisionis, et sic formaliter constituitur per ipsam realitatem et entitatem non absolute, sed ut connotat talem negationem, sicut etiam aliæ passiones entis ut verum et bonum constituuntur formaliter, non per aliquid ab entitate distinctum, sed per ipsam entitatem ut connotat aliquam relationem rationis. Ita sentiunt plures ex Thomistis super hunc locum, ut Bagnez, Zumel, magister Gonzalez, Suarez, disp. iv met. sect. ii.

VI. Secunda sententia tenet quod unum importat de formali aliquid rationis, et solum materialiter, et ex parte subjecti aliquid reale. Sed dividuntur, quia aliqui existimant importare solam negationem divisionis formaliter. Quod videtur insinuare Cajetanus in præsentis articulo i et Capreolus in i, dist. xiv, q. i, artic. i, aliique Thomistæ. Alii existimant, quod si unitas de formali, dicit privationem, seu negationem illa est negatio multitudinis. Ita Vazquez in ii tomo, i p. disput. cxxix, cap. ii et significatur a Div. Thoma hic articulo ii in corpore. Alii quod importat relationem rationis, scilicet relationem identitatis, ut quidam apud Soncinatem, iv met. quæst. xxxiii. Imo Valentia hic sentit simplicitatem pertinere ad rationem unitatis.

VII. Ut inter has sententias feratur iudicium, est advertendum, quod in hac difficultate de formali constitutivo unitatis accidit fere idem quod in quæstione de constitutivo mali, sive peccati, quod cum ad ejus constitutionem intimam requiratur aliquid reale, et aliquid privativum, difficile iudicatur, quod-

nam ex illis se habeat, ut formale, et an alterum se habeat, ut modus, vel conditio, vel ut materiale, etc. Constat autem in unitate necessario requiri privationem, ut S. Thomas advertit hic articulis i et ii, eo quod unumquodque in tantum reducit ad unitatem, in quantum tollit a se, et privat divisione sui. Constat etiam unitatem includere entitatem, tum quia convertitur cum ente, tum quia componit multitudinem, et unum additum multis facit plus : tum quia unum in se aliquid est, alias si esset nihil, idem esset habere unum, et habere nihil, quod est ridiculum. Cum ergo concurrat ad unitatem, et aliquid privativum, et aliquid positivum, seu entitativum, quæstiones istæ de ratione formali, fere reducuntur ad diversum modum apprehendendi, et paribus momentis decertare solent, et id quod apprehenditur, ut ratio formalis, alius apprehendit ut modum, vel conditionem, etc.

VIII. Si tamen prima conclusio in sententia D. Thomæ probabilius videtur, quod formalis ratio constitutiva unitatis, non sit privatio, sed entitas positiva, privatio autem se habet ut connotatio seu modus ad constitutionem istam requisitus. Est communior inter Thomistas, ut jam retulimus circa primam sententiam, et pro illa etiam videtur stare Cajetanus hic articulo i, §. Ad hoc breviter, ubi inquit quod unum formaliter est idem enti negative, quia non alia naturam significat, sed eandem alio modo. Quibus verbis loquitur de uno formaliter, subdit vero quod unum formaliter non est magis extra nihil, quam alia privativa, seu negativa, ubi loquitur de uno formaliter secundum id, quod addit supra ens, quod pertinet ad modificationem, et connotationem unitatis. Sumitur etiam hæc conclusio ex D. Thoma qui x met. lect. iv

inquit : « Quod unum non significat privationem puram, non enim significat ipsam indivisionem, sed ipsum ens indivisum, et ideo unum, et multa non opponuntur secundum puram privationem, et habitum. » Ergo de formali plus dicit unitas positivum quam privationem, si quidem de formali opponitur multitudini, et divisioni. Item quæstione ix de potent. art. vii inquit : « Quod unum, quod convertitur, cum ente non addit supra ens, nisi negationem divisionis, non quod significet ipsam indivisionem tantum, sed substantiam ejus, cum ipsa, est enim unum ens indivisum. » Et ad hunc sensum pertinet, quod ipse philosophus dixit x metaphy. capit. v, eadem lectione iv apud Div. Thomam : « Unum, et multa opponi contrarie. » Ergo oportet, quo formale in unitate penes quod fit oppositio sit positivum, alias non fundaret contrarietatem, de cujus natura est, ut utrumque extremum sit positivum, et non pura privatio, eo quod concurrunt sub eodem genere, et participant de natura generis, quæ positiva est. Imet S. Thomas in i, dist. xxiv, art. iii ad i inquit : « Quod in multitudine est negatio, vel privatio realis secundum quod una res dicitur, non esse alia, et hujusmodi distinctionem per negationem, negat negatio importata in ratione unitatis, unde negatio illa, in qua perficitur ratio unitatis, non est nisi negatio rationis tantum. » Subditque ad secundum : « Quod unum non importat negationem nisi in ratione, unde secundum rem magis se habet ad positionem, quam multitudinem, in qua importatur realis negatio, secundum quam res a re distinguitur. » Patet ergo manifeste apud D. Thomam quod in formali, et intrinseca ratione unitatis magis intrat positivum, quam in ratione multitudinis, et tamen dicitur perfici negatione ra-

tionem unitatis, quod utique verificatur, quia requiritur, ut conditio, seu connotatum ab ipsa, si quidem dicit, quod secundum res magis se habet ad positionem unitatis, quam multitudinem. Unde concludit : « Quod in definitione unius, non cadit multitudo, sed illud quod est prius secundum intellectum unitate. » Primum enim quod cadit in apprehensione intellectus est ens, et non ens, et ista sufficiunt ad definitionem unius, secundum quod intelligimus, unum esse ens, in qua non est distinctio per ens, et non ens. Ergo intrat ratio ipsa positiva entis, in definitione unius, et non solum per modum subjecti, et materiæ, ut statim ostendimus ; ergo formaliter. Quæ loca D. Thomæ si legisset Vazquez non diceret disputatione cxxix, citata, c. i D. Thomam ita absolute tenere, quod formalis ratio unius, sit negatio, seu indivisio, cum expresse dicat, unum non significare, solam indivisionem, et privationem puram, nec oppositum dixit in hac quæstione, art. i et ii, nec infra quæstione xxx, art. ii, sed solum, quod unitas non addit supra ens, nisi negationem divisionis. Aliud est autem, quid addit supra ens, aliud quam rationem formalem importat.

IX. Fundamentum hujus conclusionis sumitur ex ipsa natura, et conceptu proprio unitatis, nam secundum communem modum intelligendi nomine unicus non intelligimus aliquam privationem, seu negationem, sicut nomine cæci, vel tenebrosi, quorum formalis ratio est negatio, seu privatio, quia sic unitas importaret formaliter aliquem defectum entis, et aliquid oppositum enti, ut pote negationem, seu privationem, omnis autem negatio, seu privatio, alicui enti opponitur, impossibile est autem, quod ens fundet tamquam propriam passionem sui, defectum seu oppositionem sui, oppositionem seu